



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Placidus Abbas LVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

PLACIDUS ABBAS LVII.

Placidus, cognomento Büchs, patriâ Münnerstadianus ex Parocho Someracensi Abbas Monasterii factus. a. 1672. altero regiminis anno 30. Apr. solenniter inauguratus est. Oeconomix sedulam operam navans debitis multis Monasterium liberavit, magnâ insuper pecuniæ vi pro Bibliotheca sacrâque suppellectile expensâ; Præclariora, quæ animo jam conceperat, consilia Gallicus miles interturbavit à Rheno inferiore terris nostris imminens, cujus adventantis rumor Placidum compulit in tutiora se loca recipere, factâ etiam facultate religiosi, quem quisque securissimum nôset, locum inquirendi. Profligatis subinde Gallis pabulatores Cæsarei Abbatix nostræ pagos, duobus exceptis, expilârunt; Monasterio securitatem suam magnis sumptibus redimente; ad quod Placidus Cæsarianis ad Rhenum inferiorem descendentibus 23. Septembris rediens exactissimam servari disciplinam curavit, rei domesticæ commodis parem operam navans, quam tamen augere non admodum potuit ob nimias Cæsarianorum exactiones, queis unâ hyeme 16. plaustra vini

vini dare cogebatur. Adversa hæc magno animo semper Placidus excipiebat, quibus frangi adeò illius constantia non potuit, ut cum iis ipsis diebus, quæ quinquè tyrones advenerant, tria horrea frumento plena funesto incendio perirent, eos tamen contra plurimorum aliorum sententiam retineret; ratus, non defuturam esse Dei Clementiam speranti in se; neque sanè defuit illa optimo Præfuli: quo enim pacto aliàs & horrea ista recens excitare, & omni ære alieno Monasterium liberare, & tam splendida Someraci & Nordhemii ædificia exstruere valuisset? nisi divina Providentia variis modis Placido opitulata fuisset, dando præcipuè Petrum Philippum Episcopum Wirceburgensem, qui Placidum in literis ad eum frequentissimè datis suum nuncupare Consiliarium, & illius Monasterii rebus prodesse omni modo solebat; Cæterum lecto diutissimè sæpe affixus æquè multa pati debuit, atque agere firmâ valetudine potuit; donec tandem annus 1691. Calendis Januarii patiendi vivendique finem faceret, quo placidè exspiravit.

AUGUSTINUS ABBAS LVIII.

Dies 25. Januarii anni 1691. Augustinum cognomento Voit Gerlocuriâ oriundum Placido